



Universitätsbibliothek Paderborn

**Symbola Trinitatis, Id Est Trinitatis diversarum rerum, ex
Veteris ac Novi Testamenti Scripturis, Historijs &
exemplis; nec non congruentioribus rerum naturalium
similitudinibus conscripta ...**

Duplan, Theodore

Ruraemundae, 1663

24. Speculum trisorme.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12221

Æthere labuntur densis e nubibus imbræ,

Ipsa suas tellus arida volvit aquas.

S Y M B O L U M 22.

Triplex celorum motus,

Raptus, proprius, trepidationis.

SIdereos immota Trias quæ condidit axes

Ter gemino cælos ordine, jussit agi.

(a) Corpora ab eois celeri sibi subdita cursu,

Raptat in hesperias mobile majus aquas;

(b) Tardiùs innato, & motu (c) trepidante rotantur;

Sic immota Trias motibus hisce patet.

(a) Primum mobile spatio 24. horarum moveretur ab oriente in occidentem secum rapienti inferiorum orbes. (b) Qui proprio motu moventur ab occidente in orientem, sed non omnes æquè velociter. (c) motus trepidationis est a meridie in septentrionem, & vice versa.

S Y M B O L U M 23.

Tria ex Fontanâ Scaturigine,

Fons, rivo, flumen.

PErspicies claris ut imago liquoribus insit,

Clarescit rivo, flumine, fonte, Trias.

Lympidus excelsis fons rupibus exilit, inde

Defluit hic rivo, flumen utroque fuit.

Fons similis Patri: qui derivatur ab illo

Est Genitus, Flamen; quid nisi flumen erit?

S Y M B O L U M 24.

Speculum Triforme.

Si Triadem speculo vis assimilare Triformi,

Unicus in speculo vultus, imago triplex.

d H

Gignitur

Gignitur in speculo se contemplantis imago ,

(a) Producit Verbum se speculando Pater.

Spiritus Ignipotens utriusque resultat amore ;

Hoc speculum , felix , si specularis , eris.

(a) Hinc Sap. 7. de Sapientia eterna, id est. Filio dicitur : candor est lucis eterna, & speculum sine macula; quia Filius est Patris speculum , quod, in Filio tamquam in lympidissimo speculo reuceat Patris gloria & maiestas.

S Y M B O L U M 25.

Triplex tempus ,

Præsens , præteritum , futurum .

C Onsilio Triadis tempus sapiente creatum ,

Quo volitante fluunt cuncta creata solo.

Præteritum , præsens , aut est aliquando futurum ,

Obsequio Triadis temporis ordo triplex.

Tempore præterito , præsente , breveque futuro ,

Æternæ Triadis culmen adire datur.

S Y M B O L U M 26.

Tria in candelâ ,

Cera , lychnus , ignis.

E St icon Triadis non infima cereus ardens :

Cera ambit lychnum , perficit ignis opus.

Quis ceræ cum stuprâ usus si dempseris ignem ?

Quid juvat in Genitum cum Genitore fides ?

Perfectam cupis esse fidem ? tribuantur honores

Personis unâ cum Deitate tribus.